



The Holy See

FRANCISCUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

CONSTITUTIO APOSTOLICA

***IN CANADA NOVA CONDITUR EXARCHIA APOSTOLICA PRO FIDELIBUS
CATHOLICIS ECCLESIAE ANTIOCHENAE SYRORUM****

Conscii omnino spiritualis ponderis Ecclesiarum Orientalium quod tueri et promovere volumus, nunc singillatim de fidelibus Ecclesiae Antiochenae Syrorum in Canada commorantibus sollicitam curam habemus. Sententiam proinde accipientes Cardinalis Praefecti Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus habitoque quorum interest favorabili voto, opportunum iudicavimus ibidem novam circumscriptionem ecclesiasticam condere. Quapropter Apostolica Nostra de auctoritate Exarchiam Apostolicam pro fidelibus catholicis Ecclesiae Antiochenae Syrorum in Canada commorantibus constituimus, cunctis factis propriis iuribus et obligationibus. Novae ecclesialis communitalis Sedem in urbe Marianopolitana ponimus. Ad haec ceteraque eandem respicientia Exarchiam perficienda, consuetudines iuraque congrua servantur et quae in Codice Canonum Ecclesiarum Orientalium praecipuntur. De eodem praeterea absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad memoratam Congregationem mittantur. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die duodevicesimo mensis Decembris, anno Domini bismillesimo decimo quinto, Pontificatus Nostri tertio.

De mandato Summi Pontificis
Petrus card. Parolin
Secretarius Status

Franciscus Di Felice, *Proton. Apost.*

*AAS, vol. CVIII (2016), n. 1, p. 3.

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana